

nachis relinquimus, pro arbitrio suo aut Abbatis expellere, aut sibi alios ordinare: quia nulla auctoritas remanebit Abbati, si Monachorum potestati ceperit subjacere. Cujus ratio est: quia Regulares quoque Prælati, præcipue Benedicti, suis Ecclesiis cum annulo desponderi, & quasi matrimonium cum illis contrahere censentur per textum in cap. ne pro defectu 41. de Elect. Idcirco nec ipsi pro suo libitu suas relinquere possunt Ecclesias cap. cum venerabilis 7. de Consuet. cap. ult. de Renuntiat. nec ab aliis ad cedendum vel relinquendum absque prægnanti causa compelli per textum in cap. Monachi 2. de statu Monachor. cap. qualiter & quando 24. de Accusation. Tamburinus de Jure Abbat. 10. 1. disp. 12. q. 1. per tot.

164 Dixi de Jure Communi. Nam speciali viorum Ordinum & Religionum statuto & consuetudine fuit introducum, ut ipsorum Abbates, Generales, & alii Prælati non perperui, sed temporales sint. Sic enim in Ordinibus Mendicantium Priores, Guardiani, Rectores & alii Superiores, locales & provinciales, plerumque sunt triennales; quin & Generales ipsorum & suprema Capita (excepta Prædicatorum familia, & Societas JESU) ultra sexennium præse non permittuntur. Tamburinus d. disp. q. 2. per tot. Wex in Epit. Pralat. 165 Regul. p. 1. cap. 6. num. 10. 12. & 14. Sic etiam in Ordinibus non-Mendicantium, extra Germaniam, quam plurimi Abbates perpetuo ejusdem Abbatis regimine non gaudent, sed ad triennium vel sexennium continuare solent; quin & in Congregatione Vallis-umbrosæ ne quidem ad certum triennium, sed ad placitum Definitoris Abbates Monasteriis præfici, testatur idem Tamburinus d. q. num. 7.

166 Quod tamen non obstante, qui semel in uno loco vel Monasterio Prælaturam obtinuerunt, expletò Regiminis tempore, vel in antiquo munere confirmari, vel ad Prælaturam alterius loci & Monasterii transferri cõsueverunt. Tamburinus d. l. n. 2. & 3.

167 Quid verò magis expediat, temporales an perpetuos habere Prælatos? Problema est. Perpetuos Prælatos sequentia postulant argumenta. I. Nihil in orbe, nihil in cælo sperari vel expectari potest utilius, quam perpetuitas. Hæc Monarchiam, quæ Ecclesiasticam quæ Politicam facit stabilem & firmam; hæc ab initio nascentis Ecclesiæ viguit; hæc triumphantem apud Superos Hierarchiam facit beatam & inexplicabili modò felicem. II. Sive Monasterii cujusdam emolumentum economicum, sive disciplina Regularis incrementum pensemus, utrumque pendet ex longo,

nullique certo tempore adstricto regimine. Nam experientia rerum Magistra dicitur, nulliusve melior censetur esse Magister, quam usus diuturnus. Consequenter qui diu præest, diu multumque prodest; & qui brevi dimittere tenetur, quod primum incepit exercere munus, regere delinit, antequam didicerit. III. si Prælatus quisque Timorem Amori, suavi vinculo, conjugere debeat, ut non tam invitis imperare, quam volentes in sua trahere imperia videatur; non aliud superest medium, quam Prælaturæ stabilitas: alioquin, quod mandat, negligitur aut contemnitur; & quod blandimentis efficere conatur, non curatur: cum, ut Joannes Papa in cap. visis 1. XVI. q. 2. ait: humani moris sit, illum vereri. cuius iudicio & voluntate nunc erigeris, nunc deprimeris. IV. ubi Prælati sunt amovibiles, nunquam non ambitio, & quis illius perissequæ censetur, subornatio, dissidia, factiones, & collusiones erunt inter subditos Regulares: dum plurimi vehementius aspirabunt ad Dignitates, quas citius adipisci se posse, non ignorant.

Temporales Prælatos motiva suadent non contemnenda. I. Grave permittitur, & aliquibus vix tolerabile iudicatur esse jugum, sub eodem semper Prælato, cujus mores per honores, ex communi proverbio non semper mutantur in meliores, vivere, & quem sibi scit infensum aut offensum, usque ad tumbam agnoscere superiorem & revereri. II. Tametsi Prælaturæ non erigantur in favorem Prælatorum, sed subditorum; ut isti ab illis dirigantur in viam salutis: atramen, ex quo Prælati conspiciunt, se non morituros, nisi sub infusa, facilius officium Patris vertunt in dominatum aut despotin, ut non amplius aliorum serviant moribus, juxta monitum & mentem S. P. Benedicti in reg. cap. 2. sed potius aliorum mores ingenio genioque suo contra torrentem subicere studeant. III. si Prælatus vel in bona Monasterii semel liberius grassari; vel Regularis Vitæ laxare fibulas incipiat, potest in temporalibus & spiritalibus horrendum in modum nocere: donec enim ad Superiorem deferatur, aut Canonica depositionis causa probetur; omnia susque deque verti ac pessumdari possunt. IV. Dum sæpius & celerius mutantur Prælati, plures inveniuntur, qui bono communi consulere possunt; ijque, qui necdum supra candelabrum sunt positi, digniores se faciunt, ut è tenebris & angulis in lucem producantur. Conferantur Caramuel Theol. reg. disp. 120. an. 1492. Tamb. d. l. q. 3. per tot. & Wex cap. 6. an. 10.

§. II. De Mortis.

175 Quartus & connaturalis modus amittendi tam Prælaturas Ecclesiasticas quam omnia cetera beneficia est mors, eaque tam naturalis, quam civilis. De naturali constat tum ex cap. susceptum 6. in pr. de Rescript. in

6. tum ex cap. 1. num. 26. ubi probatum est, quòd hæreditaria successio, per quam defunctus in hæredibus adhuc vivere censetur, in Ecclesiasticis beneficiis unquam reprobatum fuerit: tum ex paritate de matrimonio carnali

nali, quod procul omni dubio per mortem dissolvitur; uti vinculum in humanis tam arctum haud invenitur, quod morte non solvatur; si excipiamus debita & peccata, per penitentiam non correctæ, ut dicit Pax Jordan lib. 10. tit. 4. n. 165. Quòdsi contingeret, aliquem Prælatum aut beneficium per miraculum à mortuis resurgere, nullum deinceps vel regressum ad Prælaturam aut beneficium haberet. Barbosa J. E. U. lib. 3. cap. 14. n. 1. P. Pirhing ad rit. de Concess. Præb. n. 23. P. Wex in cit. Epit. de Præl. Reg. cap. 7. num. 2. quemadmodum nec uxor, à morte resuscitata, potest ad maritum, jam alteri desponsatum, redire.

178 De morte civili patet ab inductione. Nam I. si Prælatus ab una Ecclesia promoveatur & transferatur ad aliam, amittit priorem: quia respectu illius civiliter mortuus esse censetur. Pax Jordan d. l. n. 179. Wex d. l. n. 2. Revi-

deantur dicta in cap. 3. an. 58. II. si Epi-179 scopus ex licentia Summi Pontificis, aut alius beneficiatus qualemcunque Religionem approbatam profiteatur, quoad Episcopatum aut beneficium pro civiliter mortuo reputatur arg. cap. placuit 8. XVI. q. 1. cap. beneficium 4. de Regular. in 6. Pax Jordan n. 178. Pirhing d. l. n. 25. III. si Prælatus Regularis transeat ab Ordine mitori ad strictiorem, ibique professionem emitat: hæc ipso namque definit esse membrum & caput alterius Ordinis & Monasterii, quasi civiliter illius intuitu mortuus arg. cap. ult. de Religios. domib.

Quid porro de bonis & fructibus, à Prælato vel beneficiato, naturaliter aut civiliter mortuo, relicti dicendum sit, utrum & quomodo remaneant penes Ecclesiam, vel deveniant ad hæredes? Suis in locis discutietur. Interea servient disputata in cap. 3. an. 70.

§. III.

De aliis Modis amittendi Prælaturas vel Beneficia.

182 Relatis hucusque Modis amittendi Prælaturas vel beneficia plures & ultra 50. annuuntur Pax Jordan cit. lib. 10. tit. 4. an. 173. Ex his assumo notabiliores, ac quintum modum statuo defectum adimpletæ conditionis: qui enim parochiale beneficium recepit, aut evectus est ad Prælaturam curatam, nec tamen intra spatium annale promotus ad Sacerdotium, beneficium aut Prælaturam ipso Jure amittit cap. ut Abbatis 1. de Eccl. qual. & 183 Ord. præficiend. cap. licet 14. de Elect. in 6. Idem est, si quis, in Prælatum electus, debitò tempore consensum non præstiterit; aut Consecrationem vel Consecrationem petere neglexerit, ut dictum in cap. 1. fest. 5. Idem est, quotiescunq; non servatur conditio, cuius implemento fundator, constructor, aut doctor Ecclesiæ consecutionem aut retentionem beneficii caractavit arg. cap. verum 4. de Condit. appost. Pax Jordan n. 222.

185 Sextus modus est obitus Papæ vel Episcopi,

pi, Prælaturam aut beneficium ad suum beneplacitum concedentis: nam quia beneplacitum extinguitur morte concedentis, extinguitur etiam Prælatura vel beneficium cap. si gratiosè 5. de Rescr. in 6. Aliud est, si concessio fiat ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: sicut enim ipsamet Sedes non moritur; ita nec concessio expirat d. cap. si gratiosè.

Septimus modus est retentio plurium beneficiorum incompatibilium, etiam cum dispensatione obtentorum, si intra tempus, ab Ordinario determinandum, dispensatio non exhibeatur: ob hanc enim beneficium posteriora, quæ sine dispensatione non poterant acquiri, perdantur cap. Ordinarii 3. in pr. de Off. Jud. Ord. in 6.

Octavus modus est delictum, ob quod Jura in multis casibus amissionem beneficii ipso facto statuerunt, uti notabimus in materiis propriis, & breviter adstruit Jordan, in n. 187. citatus.





TRACTATUS IV.  
DE  
POTESTATE OR-  
DINIS.



Celestiarum Prælati, quorum assumptioni præcedens tra-  
ctatus erat ex asse consecratus, duplici fulgent Potestate,  
Ordinis & Jurisdictionis. Potestas Ordinis, velut in Ec-  
clesia DEI præcipua, nec Angelis sed hominibus concessa,  
à Decretalium conditore Potestati Jurisdictionis præponitur,  
atque à Tit. XI. de Temporibus Ordinatis & qualitate  
Ordinandi, usque ad Tit. XXII. consideranda proponitur. Quem  
ordinem & ego servaturus, ago quam proximè de Potestate Ordinis;  
& ne materia sit incompleta, nonnullos Titulos ex Libro V. in quibus  
una vel altera species irregularitatis continetur, huc revoco.

CAPUT I.

De Natura, Origine, & Diversitate Potestatis Ordinis.

Canonista, ad Tit. XI. h. l. repetentes, de Ordinatione vel Ordinibus tractationem  
suam inscribere & continuare solent. Ab istis in effectu & re ipsa  
non differam ego, sed id ipsum, quod illi per Ordinationem vel Ordines  
intelligunt, per Ordinis Potestatem exponam; veluti mox patebit, ubi Naturam,  
originem, & diversitatem ejusdem explicavero.

SECTIO I.

De Natura & Origine Potestatis Ordinis.

SUMMARI A.

- 1. Nomen Potestatis. 2. & seqq. Nomen Ordinis exponitur. 9. Potestas Ordinis definitur. 10. Est facultas. 11. In Ecclesia DEI. 12. Res sacras, & Divina ministeria peragendi. 13. Ordinandi, confirmandi, & consecrandi. 14. & 15. Sæptiorum oppositiones contra Potestatis hujus originem asseruntur. 16. & seqq. Veritas & argumenta Catholicorum, in medium profertur. 21. & seqq. Sæptiorum oppositiones radicibus evelluntur.

§. I.

Quid sit Potestas Ordinis quoad Nomen?

Potestas vi nominis latissimam habet significationem, utpote cum prædicetur de Jurisdictione, jure proprietatis, jure paterno, jure dominico &c. prout notabitur in locis propriis. Hic autem contrahitur ad Ordinem, qui & ipse, spectatò nomine, homony-

mus est. I. enim denotat justam symmetriam, ac convenientem rerum dispositionem, juxta illud S. Augustini lib. 19. de Civit. DEI cap. 13. ordo est parium impariumque unicuique sua loca tribuens congrua dispositio. II. indigitat statum seu conditionem, pluribus communem;

munem; qualis apud Romanos triplex erat, videlicet Ordo Senatorius, Equestris, & Plebeus. Gonzalez ad cap. intelleximus 1. de Ord. Cognit. num. 10. III. innuit certam vivendi rationem, cum debita subordinatione inferiorum & subditorum, juxta Regulam & normam approbatam; quò sensu Religiosorum instituta vocantur Ordines, ut notat Gonzalez cit. l. IV. significat gradum, dignitatem, & excellentiam; in qua significatione peraccomode ad nostrum intentum in Psalm. 109. v. 4. de Christo Domino pronuntiat: *tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech*, hoc est, juxta excellentiam Sacerdotalis

dignitatis, quã Melchisedech panem & vinum offerebat in Sacrificio. I. evendit D. Joannes Clericatus de Sacram. Ord. decis. 1. num. 2. V. idem est ac Sacramentum, prout frequentissimè deducitur ex Conciliis, præsertim Tridentino in sess. 23. can. 2. & seqq. VI. accipitur pro Potestate, quæ confertur per Sacramentum Ordinis, uti supponitur in cit. Concil. can. 7. & notatur à prelaud. Clericato num. 3.

Ultima hæc notatio vel maximè quadrat ad nostrum propositum; & idèò, ad tollendam vocis ambiguitatem, tractatum nostrum de Potestate Ordinis inscripsimus.

§. II.

Quid sit Potestas Ordinis quoad rem ipsam?

Definitur Potestas Ordinis, quòd sit facultas in Ecclesia DEI res sacras ac Divina ministeria peragendi. Dixi I. facultas; quòd verbò Potestas Ordinis non differat à Potestate Jurisdictionis: nam utraque dicit solam facultatem & potentiam, citra actum & exercitium, sicut pleraque jura alia, tam sacra quam profana. Dixi II. in Ecclesia DEI. Sicut enim Potestas Ordinis ex fine primario tendit ad decorum, ornamentum, & emolumentum Ecclesie: sic nullibi, quam in Ecclesia DEI, convenientius exercetur.

Dixi III. res sacras ac Divina ministeria peragendi. Ubi simul effectus formalis & essentialis discrimen ostenditur, quòd Potestas Ordinis à reliquis juribus, nominatim à Potestate Jurisdictionis distinguitur, quatenus nempe dat potentiam, cum autoritate functiones sacras, & ministeria Divina obeundi. Constat autem hæc potentia & facultas, teste P. Engel ad tit. de M. & O. n. 36. potissimum in tribus, nimirum in confirmando, ordinando, & consecrando, prout ex subsequentibus perspicacius elucefcet.

§. III.

Undenam Potestas Ordinis sumat Originem?

Qui sacra profanis miscent, & foedus cum sectariis nostri temporis jungunt, asserere non verentur, Potestatem Ordinis, humanò tantum ingenio proditam, & certis personis attributam esse: tum quia (ut illi garrunt) nec apicem in Testamento novo reperire licet, quòd Potestas circa functiones sacras distincta fuit; tum quia potius è sacris paginis eruitur, Christianos omnes similes, atque ex ipsa nativitate quasi Sacerdotes esse, dum D. Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 9. fideles baptizatos genus electum & regale Sacerdotium appellat: quod ipsum confirmatur Apocal. 5. v. 10. ibi: *redemisti nos DEO in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos DEO nostræ Regnum & Sacerdotes*.

Deinde in Testamento novo Divinus Legislator non omnes promiscuè spiritualium officiorum capaces esse voluit, sed, ut loquitur Gentium Docteur, ad Ephes. 4. v. 11. quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c. Quem in finem Ab. 6. specialiter commemoratur, septem Diaconos ordinatos; Act. 13. refertur, Saulum & Barnabam in Episcopos inauguratos; Act. 14. narratur, per singulas Ecclesias Presbiteros fuisse constitutos. Ut proinde D. Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. relatus à Gonzalez ad cap. ex literis 2. de Clerico non Ord. ministr. num. 2. merito scripserit: *at mihi quidem videtur audax & temerarium, si quis ea sumat, quæ propria sunt Sacerdotum, nec metu sui pudore à Divinorum translatione præter captum ac mentem deterretur.*

Sed procul, è procul este profani. Dogma Catholicum & verum est, Potestatem Ordinis quoad primævam originem ex Jure Divino derivari, certisque solum personis, à DEO & Ecclesia singulariter electis, communicari. Constat hæc inprimis ex Veteri Testamento, ubi ad sacra munia non quilibet promiscuè, sed qui erant de tribu Levitica, sunt admitti. Indèque Saul, quòd Sacrificium offerre præsumeret, cum tamen ex tribu Levi non descenderet, à Samuele reprehensus legitur. 1. Reg. cap. 13. Rex Ozias quoque 1. Paral. cap. 16. non alia de causa percussus est lepra, nisi quòd ministerium Sacerdotale involaverit, incen-

sum adolens. Deinde in Testamento novo Divinus Legislator non omnes promiscuè spiritualium officiorum capaces esse voluit, sed, ut loquitur Gentium Docteur, ad Ephes. 4. v. 11. quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c. Quem in finem Ab. 6. specialiter commemoratur, septem Diaconos ordinatos; Act. 13. refertur, Saulum & Barnabam in Episcopos inauguratos; Act. 14. narratur, per singulas Ecclesias Presbiteros fuisse constitutos. Ut proinde D. Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. relatus à Gonzalez ad cap. ex literis 2. de Clerico non Ord. ministr. num. 2. merito scripserit: *at mihi quidem videtur audax & temerarium, si quis ea sumat, quæ propria sunt Sacerdotum, nec metu sui pudore à Divinorum translatione præter captum ac mentem deterretur.* Præter hæc neque videtur congruum, ut in Ecclesia, quæ pulchra, & inquam castrovarum acies ordinata, deprædicatur, nullus graduum & officiorum spiritualium sit ordo, sed quilibet de plebe ad summum altaris ministerium accedere, ac jus & thus eadem tractare manu permitatur; neque possibile est, ut quis operetur effectum supra naturam, ac Corpus & Sanguinem Domini sub speciebus Panis & Vini ponat, nisi per altiore virtutem & ordinationem tam excellentem Potestatem acceperit. Unde Apostolus ad Rom. 13.



qua à DEO sunt, ait, ordinata sunt. Plures auctoritates & ratione congerit D. Joannes Clericus de Sacram. Ord. cit. decis. 1. à n. 5.

21 Sectarioj objecta refellere, negotium est leve. Quid dispositum fuerit in Lege Nova? Dicitur in num. 18. Et, si deesset auctoritas Scripturæ, non deficeret Ecclesiæ traditio, ad hæc usque tempora perpetim continuata; quæ sanè non contemnenda, sed summo perè reverenda est: quandoquidem Respublica Christiana non tantum Lege scripta, sed etiam non-scripta & tradita regitur & illuminatur cap. Catholice S. Dist. 11.

22 Quòd autem fideles in textibus, in num. 15.

## SECTIO II.

### De Diversitate Potestatis Ordinis.

#### SUMMARIA.

24. & seq. Potestas Ordinis dividitur in Confirmationem, Consecrativam, & Ordinativam. 26. & seq. Ordinativa vel est major vel minor. 28. & seq. Probatur Sententia, negans, Primam Tonfuram esse Ordinem. 33. & seq. Ostenditur sententia affirmans. 38. & seq. Eligitur sententia media, quæ dicit, Primam Tonfuram esse Ordinem in significatione latiori, non strictiori.

40. & seq. Utilitas hujus distinctionis communistratur. 43. & seq. Referuntur varia opinionones de Episcopatu, num essentialiter à Sacerdotio distinguatur? 46. & seq. Defenditur opinio affirmativa. 50. & seq. Proponuntur fundamenta contraria. 53. & seq. Resolvuntur. 58. Episcopatus non distinguatur ab Archi-Episcopatu vel Papatu. 59. Solvitur cap. 1. Dist. 21.

#### §. I.

##### Quotuplex sit Potestas Ordinis?

24 Potestas Ordinis dividi potest in Confirmativam & Consecrativam. Confirmativa Potestas est facultas administrandi Sacramentum Confirmationis. Consecrativa vel est in specie talis, vel est Ordinativa. Illa dicitur esse facultas, res profanas & temporales efficiendi sacras. Illa subdividitur in majorem & minorem. Major appellatur, quæ confertur per Ordines majores, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum. Appellatur etiam Potestas Sacra per excellentiam, dum non solum proximius occupatur circa ministerium Altaris & consecrationem SS. Eucharistiæ, sed etiam specialem sanctita-

tem exigit à ministris, eosque ad servandam continentiam obstringit. Minor Potestas dicitur, quæ confertur per Ordines minores, Ostiariatum, Lecturatum, Exorcistatum; & Acolytatum. Dicitur etiam non-sacra, non absolute, quasi profana & secularis sit (omnes siquidem Ordines personam ordinatum efficiunt sacram & sacræ functionis capacem reddunt per cap. de ordinationibus 116. l. quest. 1. & Concil. Trident. sess. 23. cap. 17.) sed comparative ad Potestatem Majorem, dum ordinatus non obligat ad castitatem, neque tam propinquè circa ministerium Altaris versatur.

#### §. II.

##### An prima Tonfura Potestatem Ordinis conferat?

28 Dissensio est inter DD. an Prima Tonfura Potestatem Ordinis conferat? Sive, ut vulgò loquuntur, an prima Tonfura sit Ordo? Negant Theologi communiter cum S. Thoma & Sylvestro in Verb. Ordo 1. n. 1. illisque ex Canonistis cum P. Engel ad rit. de Temporib. Ordin. n. 6. accedunt Magnif. D. P. König eod. rit. n. 3. Clarif. P. Wiestner ibid. n. 3. Clarif. P. Franciscus Schmalzgrueber ad cit. rit. num. 3.

29 Rationes sunt I. quia in cap. seriatim 14. Dist. 32. cap. illud nos 1. Dist. 77. cap. à subdiacono 5. Dist. 93. dum Ordines omnes distinctè recensentur, alium est silentium de Prima Tonfura.

30 II. quia in Concilio Trid. aperte distinguitur

prima Tonfura ab Ordinibus, dum in sess. 23. de Sacram. Ord. cap. 2. Clericali tonfura insigniti per Minores ad Majores Ordines ascendere dicuntur; & in ead. sess. cap. 6. ro. & 17. Minores Ordines, tanquam aliquid diversum à Prima Tonfura, referuntur. III. quia in cæteris Ordinibus adhibetur certa materia & forma: at in Prima Tonfura non adhibetur ulla materia, nec res aliqua tonsurato traditur, sed capilli tantum resecunduntur, & superpellicèo induitur. IV. quia Potestas, quæ confertur per Tonfuram, neque refertur ad ministerium Altaris, neque speciale munus tribuit in Ecclesia: tonsuratus quippe nil aliud potest,

potest, quam in Ecclesia psalmos cantare; quæ cantatio, velut ex Sarnellio notat Clericus de Sacram. Ord. decis. 11. num. 5. olim communis erat omnibus fidelibus.

33 Affirmat econtrà potiores Canonistæ, quibus ad stipulantur Covarruv. in cap. quia nos 9. de Testament. num. 4. Pax Jordan, Episcopus Traguriensis Elucubratur. divor. tom. 1. lib. 1. tit. 6. num. 3. Sperellus fari Eccles. decis. 114. à n. 19. Fagnanus ad cap. cum contingat 11. de Etate & Qualit. & Ord. à num. 44. Rationes sunt I. quia in SS. Canonibus psalmista, id est, tonsurati spatium annumerantur ordinatis, puta in cap. clerici 1. Dist. 21. cap. perlectis 1. §. ad Psal. 3. missam Dist. 25. cap. non oportet 2. Dist. 44. II. quia in iisdem Canonibus Prima Tonfura per sepe vocatur Ordo Clericalis, præsertim in d. cap. cum contingat 11. de Etate & qual. & Ord. cap. eò libentius 6. de Servis non ordinand. cap. præterea 1. de Apostat. cap. un. de Vita & honest. Clericor. in 6. III. quia in degradatione, quæ aliquis deponitur ab Ordine, includitur etiam depositio à Tonfura cap. si quis 6. XXVII. q. 1. cap. de gradatio 2. de Pen. in 6. ut adeò tonsuratus non possit non Ordinem, quò privatur, 37 habere: cum privato supponat habitum. IV. quia Prima Tonfura producit varios effectus, puta translationem à statu laicali ad Clericalem; exemptionem à foro seculari; privilegium canonis; capacitatem ad beneficia: quæ de causa negari vix poterit, quin Ordo sit, & Potestatem Ordinis tribuat.

#### §. III.

##### An Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio?

43 Alia, nec minor est contentio, an Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio? Sive, an Episcopatus sit Ordo diversus à Sacerdotio? Prima sententia simpliciter affirmat cum Fagnano ad cap. requisit de Ordin. ab Episcopo, qui renuntiavit &c. à n. 33. Schambogen ad rit. de Tempor. Ordin. n. 7. Cardinale de Laurea, Mastro, & aliis, quos citat Clericatus de Sacram. Ord. decis. 1. num. 28. eamque, quam veriorum, ac SS. Canonibus conformiorem judicat Clarif. P. Petrus Guetrather Inst. Jur. Can. lib. 1. tit. 24. n. 4. novissimè defendit Clarif. P. Franciscus Schmalzgrueber ad d. rit. de Tempor. Ordin. n. 4. Secunda sententia negat simpliciter cum plerisque Theologis, è quibus numerantur Gonet, & Salmanticenses de Sacram. Ord. rit. 8. cap. 1. à n. 26. & alii apud cit. Clericatum num. 30. Tertia sententia utramque distinctionis fœdere conciliat, ac Episcopatum non adequatè sed tantum in adequatè diversum à Sacerdotio pronuntiat, quatenus Sacerdotium per Episcopatum magis completur, atque ad nova quædam munia extenditur. Ita cum Sylvestro V. Ordo 1. num. 1. tenent Clarif. P. Engel ad rit. de Temporib. Ord. num. 4. Clarif. P. Mezger Theolog. Scholast. tract. 1 §. dist. 51. art. 1. n. 10. Clarif. P. Wiestner ad cit. rit. n. 6.

Mihi sub distinctione, quam probat Clericus cit. decis. 11. num. 37. utraque placet sententia. Nempe si Ordo consideretur largiens, quatenus dicitur statum ex num. 3. aut certam vivendi rationem ex num. 4. aut gradum & excellentiam ex num. 5. Prima Tonfura non injustè numeratur inter Ordines, ut probant rationes secundæ sententiæ. Verùm si Ordo strictius consideretur, quatenus ex n. 6. & 7. dicitur Sacramentum, & tribuit Potestatem specialem in ordine ad ministerium Altaris; Prima Tonfura non potest inter Ordines computari, quemadmodum rationes primæ sententiæ convincunt.

Ne autem ventilata quæstio nihil utilitatis continere videatur, sciendum est, in materia odiosa, ubi constitutiones Ecclesiasticæ disponunt de Ordinibus, ordinandis, vel ordinatione, non comprehendi Primam Tonfuram, aut tonsuratos: sic enim, dum Concil. Trid. sess. 7. de reformat. cap. 10. sub pœna interdicti prohibet, ne Capitulum, Sede vacante, intra annum à die vacationis ordinandi licentiam aut literas dimissorias concedat, Primam Tonfuram non subintelligi, decidit S. Congregatio apud Faganum ad cit. cap. cum contingat. num. 38. Sic etiam, dum idem Concilium 42 sub pœna suspensionis vetat, ne Episcopus alienum Diaconatum ordinet absque licentia sui Ordinarii, Primam Tonfuram collationem non esse comprehensam, censuit eadem S. Congregatio apud cit. Fagnanum.

#### §. III.

##### An Episcopatus conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdotio?

Triplex placitum in statuta Juris dum appendo, prioris momenta præponderare videntur. I. enim Episcopatus, tanquam Ordo distinctus à Sacerdotio, agnoscitur partim in cap. 1. Distinct. 21. partim in cap. de Syracusana 13. Distinct. 28. partim in cap. omnium 1. Dist. 32. ipsaque Episcopi institutio vocatur sacra ordinatio & consecratio cap. extra conscientiam 5. Dist. 64. cap. de persona 4. Dist. 65. cap. ult. Dist. 66. cap. un. XVIII. q. 1. II. In Concilio Trident. 47 cit. sess. 23. can. 7. ita decretum legitur: si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere Potestatem Conferendi, & Ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit. Atqui vix ullus dubitavit, quin Episcopi Sacerdotibus in adequatè superiores existant; vix etiam quis vocavit in dubium, quin Episcoporum Potestas à Potestate Presbyterorum in adequatè sit distincta. Adeoque ex mente Concilii debet intercedere adequata distinctio inter Episcopatum & Sacerdotium. III. Episcopatus tribuit gratiam Sacramentalem, ut traditur 1. Timoth. 4. §. 14. Imprimè Characterè indelebilem, & ubi semel est legitime collatus, nequit amplius repeti cap. sicut semel 1. Dist. 68. cap. non licet 107. de Consecrat. Dist. 4. Adeoque est Ordo specialis, & essentialiter distinctus à Presbyteratu. IV. Episcopatus habet 49